



PARTIS PRIMAE

SECTIO I.

CONTEMPLATIVA.

C A P. I.

De sensu verborum.

I.

Omni verbo respondere debet, in sacris quidem libris semper et haud dubie respondet, idea seu notio rei, quem *sensum* dicimus, quod eius rei, quae verbo exprimitur, sensus audiendo verbo instaurari in animo utcumque debet.

2. Eum sensum consuetudo doctorum *literalem* appellavit, quod ita consuetudine coniunctus est cum verbo, ut verbo audiendo in animum primus reuocetur: neque differt apud veteres et bonos scriptores a *sensu literae*, quem incitior recentior aliter et inepte dicere coepit, cum veteres, etiam Erasmus et aequales, promiscue dicant. Est enim *litera* nihil aliud, quam quod Graeci τὸ γεγραμμένον vel τὸ γράμμα dicunt, Cicero et alii bene Latini *scriptum*: unde *scriptum sequi*, et *scripti interpretatio*.

A 4

3. Eum